

XVII

1344, 15 febbraio.

IV, II, 25 v.

(*Protocollo c. s.*): Die quintodecimo februarii. Nobilis uir ser Mencius quondam Laurencii de Mencio, ciuis Ragusii, tanquam syndicus et procurator comunis et hominum ciuitatis Ragusii ad infrascripta specialiter deputatus, ut patet publico instrumento syndacatus manu Symonis de Forteguerris de Pistorio cancellarii dicti communis Ragusii, scripto sub millessimo trecentessimo quadrigessimo quarto, inductione duodecima et die ultimo mensis ianuarii, a me Joanne notario infrascripto uiso et lecto, syndacario et procuratorio nomine predictorum ex potestate et bailia sibi concessa per formam dicti syndacatus, asumpsit et recepit magistrum Jacobum de Padua in physice scientia peritum, ibidem presentem et uolentem, ad salarium comunis et hominum dicte ciuitatis Ragusii pro uno anno proxime uenturo a die quo dictus magister Jacobus aplicuerit Ragusium inicium asumendo, cum pactis et condictionibus infrascriptis uidelicet, quod dictus magister Jacobus teneatur et debeat mederi de dicta arte physice cum necesse fuerit dominum comitem Ragusii qui nunc est et qui pro tempore fuerit et familiam suam, dominum archiepiscopum Ragusii et eius familiam, fratres predicatorum et fratres minores conuentuum dicte ciuitatis et omnes salariautos dicti communis Ragusii, ac eciam omnes homines et personas Ragusii et eius districtuales, absque aliquo premio percipiendo, bene et fideliter prout sibi obstenderit gratia Saluatoris, nec recedere de dicta ciuitate Ragusii absque expressa licencia domini comitis Ragusii. Dictus uero ser Mencius syndicus et procurator predictus, syndacario et procuratorio nomine quo supra, se obligando dicto magistro Jacobo promisit eidem dare et soluere sibi pro suo labore et salario pro dicto anno trecentos perperos de Ragusio, quos dare et soluere teneatur et debeat eidem syngulis mensibus prout tangit pro rata. Que omnia et syngula supradicta promiserunt quilibet eorum unus alteri ad inuicem firma et rata habere et tenere, adtendere et obseruare et non contrafacere uel uenire, aliqua ratione uel causa, de iure uel de facto, sub pena ad inuicem centum perperorum de Ragusio, solemni stipulatione interueniente inter eos in syngulis capitulis huius contractus, que totiens comicatur et exigi possit, quociens contrafactum fuerit in predictis uel aliquo predictorum. Item reficere et restituere unus alteri ad inuicem omnia et syngula dampna et expensas ac interesse litis et extra. Ad que omnia et syngula supradicta firmiter actendenda et obseruanda obligauerunt ad inuicem, scilicet dictus magister Jacobus omnia sua bona presentia et futura et dictus syndicus, syndacario nomine sepedito, omnia bona comunis, hominum, per-